



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XLVIII. Societatis famam qua[m] topere tutatus sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

rem, quod esset vbique tam sibi eadem consentiensque gubernatio, vt ab vno geri non à pluribus videretur.

XLVIII. Denique certo persuasus Societatem, non suam sed Dei rem esse, (fuit enim hic eius sensus perpetuus, (nihil eorum omisit quæ ad cõseruandam illius sanctitatem, auctoritatẽque, & tuendam aduersus impugnantem famam præstari valeret: nulli ante fas erat ad concionandum, vel docendum prodire, quam ipsi & aliis quos secum assumpserat in eo genere versatis, experimentum dedisset suæ facultatis. Quibus à summo Pontifice, missiones, & grauis momenti negotia mandabantur, vti & cæteris quos ipse adhiberet, coram, & scripto tradebat monita, quæ in rem maxime facerent accommodata loco, & tempori. His Ioannem Nugnezium Barretum Æthiopiæ patriarcham, ad suam Ecclesiam è Lusitania discellurum muniuit; his Lainium, & Natalem, Cardinali Moroni ab Iulio III. ad comitia Augustana à consiliis datos; Paschasium, & Salmeronem à Paulo III. in Hiberniam nuncios; Iacobum Mironum, Lusitaniæ Regis obsequio destinatum instituit; suas etiam Manareo, cum gubernatore Laureti versaturo; suas Pelletario, duci Ferrariæ Herculi operam nauaturo; suas Pontificis ad tridentinum confessum Theologis Iacobo Lainio, & Salmeroni; suas quibusque aliis cautiones, & sanctimoniam, ac sapientiæ præcepta tradidit, quorum causas, & mentem longum hic fuerit explicatius narrare, & commodior alias seruetur iis locus. Iam in Societate defendenda, primum hoc tenuit, ne qua re omnino aut nouos sibi aduersarios crearet, aut exasperaret acrius veteres. Quare vi nulla induci potuit, vt refelli ardentius censuram pateretur, qua Academici Sorbonæ Societatem crudè perstrinxerant, vel tumultuosè in eam aliquid moueri. Quod cum domi nonnullos ferre iniquiùs cerneret, nec illam amplecti nimiam placabilitatem, nec acquiescere satisfaciendi sapius illis Christi verbis, *pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*; publicam ad eos addidit cohortationem, qua vehementius contendit, nec esse religiosi mentibus liberum, tametsi grauer offendis indignari, aut concipere aliquid vindictæ, sub defensione necessaria sapius latitantis; nec pati prudentiam vt æternas, aduersus communitatem, præsertim illustrem, susciperemus inimicitias: ob hoc item Martinum Olaiuum redire ad theses noluit ab religiosi quibusdam in conuentu totius Ordinis positas, quod ex iis aliquas, sic exagitasset, vt responsum propugnanti omnem eriperet. Quippe illi splendor non placuit, quo obscurarentur alij; nec emendam vnius gloriam maleuolentia multorum, qui, vt nimis procliuè, offusum pudorem interpretaturi erant iniuriam. Eundem quoque Olaiuum rogauit vt ex positionibus Theologicis quas erat editurus, eam vellet delere, qua male affici poterant qui consueuissent diuersa sentire. In querendis quin etiam Deo cæloque hominibus, in quo vires omnes optabat à nobis exeri; ea tamen id agi moderatione, & solertia cauendi cupiebat, ne cui iusta daretur offensionis occasio. Duo nimirum in Societate operarum feruentium dicere genera solebat, alios qui ædificarent, nunquam destruerent,

XLVIII.
Societatis
famam quã
sopere iustis
suis sit.

destruerent, qui suum ardorem ea caritatis, & prudentiæ æqualitate temperarent, ut dum cunctis prodesse, nocerent nemini; qui sibi licere quicquid possent nequaquam crederent; sed hoc solum se posse quod liceret atque expediret: qui ubicumque periculum, aut etiam metus offensionum minaretur ex alienandis virorum, maximè principum, animis, religiois suæ modestiæ, humilitati que id imputarent, quod summæ suæ ad iuandos mortales voluntati, aliena culpa non possent imputare: alios è contrario aiebat, ædificare vna, & destruere, telamque hinc simul retexere quam inde contexunt; ardere sed parum cauere; agi perturbatione magis & impetu, quam bene cordata ratione; non attendere ex bono quod facere ambiunt, quid & quantum secuturum sit mali; ac modò quem volunt lucrentur vnum, ad decem quos interim perdunt ne quidem aduertere; velle, si quid his controuertitur, rem lite iuridica ad viuum dirimi, tumultu, & turbis omnia implere, auersa etiam plarumque ab Societate illorum beneuolentia, quorum fauore carere non potest ad liberam diuinæ gloriæ procurationem. Hoc genus, difficile dictu est, quantum auersaretur Ignatius, utpote ubique demissionis Christianæ, pacisque percupidus; ergo huiusmodi si quem reperisset in cuius impetu sanioribus motis frænado parum felix fuisset; ligabat operatio illi manus, eumque à publicis ministeriis amouebat. Verum calumnia, & suspectæ doctrinæ, aut consuetudinis accusatio, si eam impeterent Societatis famam quæ ad salutem mortalium confidenter iuandam necessaria est; assurgebat tunc scilicet in defensionem, vrgebatque rem omnibus machinis quoad de illa supremum pronuntiaretur, haud quidem aduersariis infensus, sed iustus depulsor probrosi nominis quo infamabatur opera conuersioni hominum destinata. Hunc stylum tenuerat aduersus fœderatos hæretici monachi, de quo liber proximus narravit; hunc aduersus quendam postea tenuit Mattheum à Sancto Cassiano, Romæ vicedarij præfectum, qui subtracta suæ libidini vel ab Ignatio, vel alio è nostris meliorem in vitam femina, in rabiem actus tota vrbe Ignatium, & suos, & S. Marthæ cœnobiū (qui erat illarum miserarum ad pœnitentiam receptus) turpissimorum criminum latè traduxerat, vnde mox nonnulla glisceret inculcante tam passim calumniatore, suspitionis fides; inde quod creditum fuerat præstantissimæ caritatis, timeri iam ne occultum foret flagitiorum commercium; inde multi tam sancto ab opere manum restringere, quam in subsidium illius cœnobiij expanderant antea liberalem. Ergo Ignatius, Dei causam acturus, non suam, ad tribunal iudicum prouocauit; illic tam certis, & euidentibus veritatis patrociniis, innocentiam defendit, ut calumniator imminente Dei, & hominum vindicta exterritus, ad palinodiam publicam in campo Floræ, & professionem sui mendacij se nostris offerret. Sedenim sæua in Societatem, eoorta Salmantica tempestas, totamque inde peruadēs Hispaniā, fuit carminibus aliis dissipanda: patientia primum constanti, & lenta; cui frustra diu adhibita, iuris præsidium efficax denique successit. Mouerat hos fluctus Theologus Monachus, clientelis suorum, & fama tam potens, prope ut totum in eosdem conatus toto

illo regno Ordinem suum secum immiserit. Furendi causam haud aliam habuit, præter doctrinæ, & sanctimoniam clarum nomen quod illic Deus Societati iam fecerat, ex quo ille cum suis, falso illam religiosi Ordinis titulo se iactare; fallaci doctrina illudere; vitam ducere peruersitate morum sceleratam; quæ uti sentire obstinarant, ita populo inculcabant, ut iam è pulpitis audiretur nihil, nisi Societatem Anti-christorum esse cœtum, quos multiplici parallelo nobiscum minutè componebant. Huic se turbini permittens Ignatius, ferendo, tacehdo, Dei opem quærendo, experiebatur an valeret illum mansuetudine lentare: sed irrupente illo ferocius quod nullius obiectu tardaretur, Petrum imitatus iactatæ nauiculæ metuentem, Christum excitauit, rogato enixe Christi Vicario, ut turbulentis illis comminaretur ventis, & fluctus impios coherceret. Annuuit Pontifex; & dira execratione, pœnisque aliis eorum deuouit audaciam, qui auctoritatem summæ sedis aut spernerent, aut imprudentiæ carperent, in approbando Instituto, quod ipsi non satis probarent. Ne cui tamen hæc appellatio attribueretur præterquam necessitati, diuinæ gloriæ vindicandæ, consilium suum probauit per literas P. M. Ioanni Auilæ sibi amicissimo, ut ubi res posceret, posset vir tota Hispania, & talis & tantus, dicto scriptoque errorem iis demere, quibus forte hæc prouocatio minus patiens videretur. Contendit ergo iis literis, asseritque testimoniis tum patrum veterum, tum Theologiæ principum, propriæ famæ propugnationem necessariò cuique incumbere, cum eius neglectus in boni publici detrimentum euadit. Hoc vno se motum ad propellendum probrum quo bona, & innocens suorum, inurebatur existimatio; quod tamen aiebat præstiturum se quàm placidissimè, & qua maximè posset obseruantia, & suauitate, quibus si nihil promoueret, iturum se via opposita, quam necessaria defensionis religio suasisset.

XLIX.

Ratio bonos
formandi su-
periores.
Iacobus Mi-
ron.

Duas egit has partes primarias gubernatio S. Ignatij, quibus debere Societatem regi, quidam ex antiquis illius patribus tradidit; quæ priuatum cum publico bonum ita confociant, ut suam utriusque mensuram modumque conferuent. Hac vero duplici continentur voce. *Fortiter, & Suauiter. Fortiter, ut cum omni rectitudine sit ratio gubernandi efficax atque immobilis in vniuersum, & quæ cum fine constanter, atque magnanimiter coniungatur. Suauiter, ut in particularibus, & rerum usu adhibeatur moderatio, longanimitas, & sustinentia ut expedire videbitur.* Nunc post enarratam in formandis ad summam virtutem inferioribus, illius sanctitatem, cum pari prudentia coniunctam, superest demum, iisdem præsiidiis, superiores quo pacto fingeret videamus, quæue illis præcepta magisterij huius impeditiissimi scriberet. In quo excellentem eius peritiam edoctus Xauerius præfensione quadam sui post annum è vitâ discessus, magnoperè ab eo petiit Rectorem Goano Collegio, quem coram, sua ipse manu, ac voce formasset [Te per Dei amorem, & obsequium rogo (ait Cocino scribens) quod te sanctis pedibus tuis aduolutus, ex te si præsens istic essem, rogarem, mittas huc